



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. Virginis Oetinganæ Historia

Irsing, Jakob

Monachii, 1643

C. XI. De nouâ SS. Apostol. Philippi, & Iacobi Basilicâ, déque Mariano
sacello adiunctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64940)

nutius. Hodie Osnabrugensi, Mindensi, Verdensi Episcopatibus insignis, & S. R. I. Princeps.

CAPVT XI.

De nouâ S. S. Apostolorum Philippi & Iacobi Basilicâ, deq; Mariano sacello adiunctis.

OEtingensium famâ miraculorum ab A. C. MCDLXXXIX. ad notitiam publicam primùm efflorescentium, longè latèque dimanante; paucis annis vsque eò populorum accurrentium increuit numerus, vt pars magna templorum angustiis excluderetur. Quam ob rem iuuando religionis studio visum est nouam, eamque amplam condere Basilicam, veteri, quam Ludouicus I. Boiorum Dux circa A. C. MCEXXX. cum Canonicorum Collegio extruxerat, deiectâ. Cœptum est igitur ædificari, quod hodie cernitur,

F præ-

præclarum Diuorum Philippi & Jacobi Apostolorum templum A. C. MCDXCIX. primum in fundamentum lapidem locante Joanne Mayr, Præposito Oetingano, die principis Apostolorum Vinculis sacro, impensararii Ecclesiæ Oetinganæ, & piorum hominum liberalitate. Berchtoldus Episcopus Chiemensis, consecratus ad V. Cal. Octobris, anno MDXII. D. Michaelis Conditorio, sequentibus biduo (erant Solis Lunæque dies) Ecclesiam Collegiatam B. Mariæ, & SS. Apostolorum Philippi & Jacobo unâ cum decem aris, & sacello quodam continente cum dictæ Ecclesiæ ambitu dedicauit. Annuo dedicationis solenni Dominicam, quæ scilicet est Corpori Christi hebdomada diuidit, assignauit. Eadē porrò pietatis populi, quæ templi spatia laxauerat in arctum procedentibus annis corriguit, aris, monumentisque, aliis suppetentibus statuendis: quæ ex ornamentis

randem in impedimenta cedebant. Itaque cultus diuini, splendorisque facti studiosissimus Princeps, Franciscus Wilhelmus, Osnabrugensis, Mindenensis, Verdenensis Episcopus, Præpositus Oetingensis &c. quæ visum est, siue maiestati Basilicæ, siue sacrorum rituum elegantia, atque diuinorum mysteriorum procurationi officere, remouit; speciémq; multò, quàm adhuc erat, augustiorem, vsibusq; piis aptiorem induxit A. C. MDCXIX.

Mariano sacello, quod primitus septem cellarum ambitu definiebatur, noua adstructa est ædes, in longum porrecta, incertum, quo tempore. Eius effigiem aliquam præfixit Auentinus suis Oetinganis iam A. C. MDXVIII. qui septimus est post dedicatam Apostolorum Basilicam. Decimo deinde nono instauratam docent Rationum libri. Vigesimo, antiqua miracula, quæ sacellum foris ambiunt, depicta sunt, & affixa.